



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

Lugduni, 1652-1663

Cap. 4. De Impedimento Cognationis carnalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80577)

CAPVT IV.

De Impedimento Cognationis carnalis.

¹⁹ **C**arnalis cognatio, quæ & consanguinitas dicitur, est, vinculum personarum ab eodem propinquo stipite descendit, carnalis propinquitudo, gradus, & distans. Distinguitur hæc cognatio per lineas, & gradus. *Linea* dicitur ordinata collectio personarum ab vno stipite descendit diuersos continens gradus: vel potius ipsæmet personæ tam ascendentes, quam descendentes collectivè sumptæ. *Gradus* est mensura personarum, quæ cognoscitur, quanta sit propinquitudo consanguinitatis, vel distantia inter ipsas personas, quæ in linea includuntur. *Linea duplex* recta est, alia, *transuersa*, seu *collateralis*. Recta est illa, secundum quam multæ personæ ab vno stipite immediatè, vel mediatè descendunt, vt vna sit genita ab altera vt filius à patre, nepos à filio, &c. At hæc recta linea alia est ascendens in qua continentur personæ, à quibus origo deducitur, vt pater avus, proavus, atavus; alia descendens, quæ claudit personas originem ab eo stipite trahentes, vt filios, nepotes, pronepotes, &c. Collateralis vero linea est illa, secundum quam multæ personæ ab vno stipite immediatè vel mediatè procedunt, ipsæ tamen personæ à se inuicem non descendunt, vt sunt fratres, & eorum filij, patrui, amita. *Stipes* est persona illa, à qua omnes personæ, de quarum coniunctione tractatur, descendunt, seu originem ducunt. *Gutier. hic c. 9. num. 1. Filliuc. rr. 10. p. 2. cap. 5. Reginal. lib. 3. 1. num. 140. Sanch. lib. 7. dub. 50. num. 2. & 3. Bonac. hic q. 3. pun. 5. §. 1. n. 3. & 4. Valent. 10. d. 10. q. 5. pun. 3.*

²⁰ **V**t cognoscas, in quo gradu vnus consanguineus cum altero existat, triplicem regulam exhibebo. Prima in linea recta descendit, & descendit hæc est: Tot sunt gradus quot sunt personæ, dempta vna persona, scilicet stipite: verbi gratia, pater & filius sunt duæ personæ, si stipitem demas, id est patrem, pater & filius erunt in primo gradu, eo quod dempto stipite remanet vna persona. Similiter pater & nepos sunt in secundo gradu, eo quod tot sunt gradus, quot sunt personæ dempta vnæ personæ autem in hoc casu sunt tres, videlicet pater filius, & nepos. *D. Tho. in 3. dist. 40. q. 1. a. 2. Coninch d. 32. dub. 1. Reginal. l. 3. n. 141. & 142. Sanch. l. 7. d. 50. m. 4.*

²¹ **Regula secunda:** Quando personæ, quarum gradus queruntur, sunt in linea transuersa æquali, eodem gradu distant inter se, quo distat à communi vtriusque stipite proximo: v. gr. duo fratres distant inter se in primo gradu, quia in eo distat à primo stipite, in quo coniunguntur, qui est parens. Filij duorum fratrum sunt consanguinei in secundo gradu, quia in eodè coniunguntur in communi vtriusque stipite proximo, qui est avus. *Covar. in Epit. part. 2. cap. 6. §. 6. Tolet. lib. 7. cap. 9. Bonac. hic q. 3. pun. 5. §. 1. num. 5.*

²⁴ **Regula pro** Regula tertia. Quoties personæ consanguineæ in linea transuersa distant inæqualiter à

communi stipite, eo gradu distat inter se, quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite: v. gr. patrui & filius ex fratre distant inæqualiter ab avo in quo vniuntur; ille enim distat in primo gradu, hic vero in secundo, vt pote qui est eius nepos, alter autem eius filius distabunt igitur inter se in secundo consanguinitatis gradu. *Sanch. l. 7. d. 50. m. 5. & 6. Valent. 10. d. 10. q. 5. pun. 3.*

²³ **I**taque matrimonium in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ, id est, inter parentes & filios est ipso iure naturæ irritum. Quia omnes Gentes bene instructæ solo naturæ lumine edocæ, nuptias inter hos nefandas existimarunt. *D. Thom. in 4. dist. 40. q. 1. a. 3. Valent. 10. d. 10. q. 5. pun. 3.*

²⁶ **A**tamen matrimonium contractum in quo liber alio ascendit & descendit gradum, non erit iure naturali irritum. Quia ascendentes non habent rationem principij, sed per se respectu omnium, sed solum respectu filiorum ab ipsis immediate procedentium. Respectu autem aliorum descendit habent rationem principij tantummodo per accidens. Vnde infero, Matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradibus lineæ rectæ validum esse. Quia Matrimonium in his gradibus naturæ. Ideo cõuersi ad fidem non sunt separandi nisi cum patre, & matre coniuncti sint. *Sanch. lib. 7. d. 51. m. 19. Filliuc. rr. 10. p. 2. n. 180. Bonac. hic q. 3. pun. 5. §. 1. n. 8. & v. Matrim. Impedim. n. 4.*

²⁵ **M**atrimonium in primo gradu æquali lineæ transuersæ, v. gr. inter fratrem & sororem, non esse iure naturæ prohibitum, vnde iusta concurrente causa dispensare in eo posset summus Pontifex. *D. Thomas asseruit 2. 2. q. 15. a. 9. ad 3. Quam sententiam Sotus in 4. dist. 40. q. 1. a. 4. immerito appellauit erroneam, de quo Selt. tom. 2. At ex receptiori assero, Matrimonium inter fratres & sorores esse iure naturæ interdictum. Quia inter fratrem & sororem est maximus pudor naturalis, cui actus coniugalitatis maxime auersatur. Et quia summus Pontifex requisitus ad dispensandum in primo gradu, nunquam voluit annuere: Ergo non vulgare est cum non possit, docuimus. *Sanch. l. 7. d. 52. n. 11. Præposit. in supplem. 3. p. q. 7. dub. 9. n. 73. Bonac. hic q. 3. pun. 5. §. 1. n. 11. Valq. 1. 2. q. 7. a. 8. d. 112. a. 17. Filliuc. rr. 10. p. 2. n. 182. & alij apud ipsos.**

²⁶ **I**ure Ecclesiastico est inualidum Matrimonium initum inter consanguineos intra quartum gradum inclusiue tam in linea recta, quam in transuersa. Tamen si duo consanguinei in æqualiter distat à stipite, v. gr. si alter distet inter consanguineos ultra quartum gradum, alter vero intra illum, possunt Matrimonio colligari. Quia tunc attenditur gradus consanguinitatis penes distantiam remotioris à stipite; remotior autem à stipite distat ultra quartum gradum: Ergo ambo erunt consanguinei inter se ultra quartum gradum. *Cap. Non debet, de consanguin. Trident. sess. 24. can. 3. Cap. final. de consanguin.*